DE

SCIRRHO ET CARCINOMATE UTERI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE V. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIV

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUTOR

ANDREAS FRIDERICUS ECKE

PARTHENOPOLITANUS.

OPPONENTIBUS:

E. RAMBERG, MED. DD.

F. BOCK, MED. DD.

E. KLEWITZ, MED. DD.

BEROLINI MDCCCXXIV.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO ERUDITISSIMO SPECTATISSIMO

RERUM SACRARUM ANTISTITI PIO

HUMANITATIS STRENUO CULTORI

F. A. HILDEBRAND

HANCCE

STUDIORUM IUVENILIUM

SPE BONA

EMISSAM OPELLAM

PURA MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Quo longior facta est seculorum series, quae genus humanum vidit; eo magis magisque auctus quoque est numerus malorum, quibus ars illa salutaris mederi summo studio nititur. Sunt quidem et fuerunt omnibus temporibus summi viri, rei medicae periti, qui ad tollenda mala praestantissima auxilia vel invenirent vel propagarent: attamen quis omnium est, qui neget, multa imo plura superesse, quibus ad nostrum usque tempus dextra et plane fida nondum sint reperta remedia. Quorum malorum vim, etiamsi plane sanare dubites, tamen naturam eorum accuratissime perscrutari expediat, quia haec cognitio sola ad medicamenta quoque excogitanda viam struere posse videtur. Quam ob rem et ego in hac re laborare volui,

non, ut aliquid novi exsererem; nam novis eruendis nondum sufficit aetas, sed ut morbi periculosissimi naturam, quam fieri posset, diligentissime perquirerem, quia sic modo id assecuturus esse mihi videbar, ut, cuius mali vim cognovissem, de eiusdem opprimendi facultate eo minus desperarem.

Maxime inter se differunt auctores in scirrho definiendo, quamquam hoc ipsum malum certe antiquissimis iam medicis notum fuit; sed natura eius tam densis tenebris obvelatur, ut haud mirandum sit, quod celeberrimi omnium aetatum medici in diversissimas de illa sententias abierint. Haec autem sententiarum diversitas luculentissime cuilibet apparebit, dummodo Io. Grashuysii 1) Ptr. Camperi 2) Guil. Leursii 3) Bellii 4) aliorumque evolvat scripta; quam vero multis exponere atque digerere et propositum huius commentarioli et arcti, quibus circumscribitur, limites non permittunt.

1) Exercit. med. chirurg. de scirrho et carcinomate. Amsterd. 1742.

2) Sammlung auserlener Abhandlungen zum Gebranch practischer Aerzte. Bd. XI. pag. 509.

3) Ebend. Bd XII pag 263 — 413.

4) Benjamin Bell. Lehrbegriff der Wundarzneikunst. Bd. I. pag. 262.

Scirrhum tumorem esse frigidum, durum, indolentem, cuti concolorem, praecipue in partibus glandulosis, quam plurimi pathologi docuerunt. Quam definitionem omni respectu valere non posse, facile quisque intelliget, observationes enim non desunt, quibus scirrhum ab initio mollem et dolentem, molli quidem structura gaudentibus, tamen non glandulosis partibus, verbi causa utero insedisse comprobatur; imo vero tumores descriptioni supra factae consentanei reperiuntur, qui tamen ad scirrhos non referri solent.

Scirrhi indolem accuratius delineare mihi videtur definitio, quae eum esse tumorem partium mollium quendam durum, ad tactum renitentem, inaequalem, tuberosum, decursum chronicum observantem, primis ab initiis indolentem, proclivitatem in carcinoma abeundi prae se ferentem dicit. Quam definitionem igitur, cum uterum respicimus, tenentes, praeternaturalem huius organi indurationem chronicam, tuberculosam, eximia duritie praeditam atque ad ulcus cancrosum tendentem nomine uteri scirrhi vere designare possumus. Indurationis autem iam descriptae status carcinomatis nobis praebet notionem, cum tali in statu dolores exoriantur prurientes, lancinantes, punctorii, urentes, qui primo per intervalla, postea vero frequentius redeunt ac denique continenter et acerbe aegram extorquent, et locus durus tunc nova inflammatione correptus eaque elatus, ipse iam in ulcus abierit apertum, quod acrem malaeque indolis humorem spargentem foedissimum ac simul peculiarem foetorem, partes vicinas corrodentem atque exedentem stillat, sanguinisque subinde repentina profluvia edit, quibus deinde

animi deliquia, maxima virium prostratio, corporis summa emaciatio ac tandem ipsa mors adducuntur.

Sed ne quis lectorum, me scirrhi definitionem dare voluisse credat, hic moneam oportet, verbis illis nihil amplius inesse nisi brevem morbi historiam; ceterum me, a lectore, qui sciat, definitione in medica arte nihil difficilius semper fuisse, vehementer expetere, ut benevole et huic indulgere velit.

Nulla corporis humani pars tam saepe scirrho afficitur, quam uterus, qui contextu spongioso ac multis vasis et lymphaticis et venosis permixto praeditus est, atque ea de re ad inflammationem scirrhi generationi idoneam, inclinat. Nec ullum porro ex cunctis hucusque notis vitiis aeque multa horribiliaque sequiori sexui damna parit, quam uteri scirrhus, malum nunc temporis in urbibus praegrandibus humidarum frigidarumque praecipue terrae regionum non adeo raro obvium.

Momenta autem maxime varia, quae uterum, multis per vitam mutationibus obnoxium, movent, quo facilius inflammationem gignere et protrahere, eo magis et scirrhum adducere valent. Proinde etiam ea uteri pars, quae eius collum vocatur, cum ob formationem, situm et functionem causis hunc morbum prae ceteris inducentibus potissimum hoc malo affligitur; rarius autem totum organon.

Simili modo scirrhus non omni vitae tempore in uterum vim suam exercet, sed mulieribus ab anno aetatis vigesimo ad quadragesimum usque praecipue est infestus. Qua vitae periodo nempe mulier integra in utero concipiendi, foetumque ibi generandi facultate

praedita est; eadem porro uteri vitam modo adauctam, modo diminutam, atque eius ambitum cum simultanea densitatis mutatione subinde crescentem ac descrescentem animadvertimus.

Omnes, quas quidem ipse, cum medici inferioris munere in nosocomio caritatis Berolinensis fungerer, hoc vitio laborantes vidi, in veneris usu plus minusve modum excesserant, atque vel semel, vel bis vel ter uterum gesserant, et sic quidem, ut inter unum et alterum partum spatium trium, quinque, decem, imo quindecim annorum intercessisset, ex quo inde tempore menstrua nunquam secundum naturae legitimum typum apparuerant.

Puellas, quibus ante pubertatis periodum uterus nondum vita vegetiori instructus tanquam iners organon adhaeret uteri vel scirrhi, vel carcinomatis malo affectas esse, nullum exemplum exstat. Quamquam enim Wigandius uterum puellae quatuordecim annorum scirrhosum se vidisse cammemorat: supra dicta tamen id non refellit; cum in hac puella menstruationis appropinquantis, morbo quodam impeditae, vestigia se manifestarent. Nec vero magis in stadio decrescentis vitae, decursu menstruorum legibus naturae convenienter finito, huic morbo, nisi iam antea latuerat, subiectum uterum fuisse, unquam observatum est.

D i a g n o s i s.

Ut ordo aliquis in vitii signis tradendis teneatur, omnem eius decursum in certa atque distincta stadia

dividi alienum non est; quod vero si fit, nunquam ex animo dimittendum erit, huiusmodi divisionem semper artis plus quam veritatis in se ferre. Confluunt neque ita stadia inter se invicem, ut eorum limites in libris quidem facile, ad aegrarum vero lectulos saepe modo difficillimo definiri possint. Quae cum ita sint, omnia huius vitii signa, quae de uteri scirrhi carcinomatisque praesentia certiores nos reddere possunt, tria in stadia aptissime divisa, quae et scirrhi exortum, et decursum nova inflammatione alienatum, denique carcinoma spectant, nunc accuratius investigare iuvat.

Stadium primum. Morbi huius terribilis diagnosis hoc stadio nos saepissime fugit, quia foeminae hoc afflictae levissimorum symptomatum, quae scirrhi originem atque formationem comitantur, haud raro rationem non habent, eaque de causa, signa accuratius perscrutandi et aestimandi medico occasio deest. Leviores enim regionem pelvis permigrantes et subinde remittentes ac ingravescentes ictus, dolores in ossis sacri regione lancinantes atque colica menstrualis inflammationis ad indurationem transitum plerumque indicant, nec tamen ab aegrota mox praetereuntes magni momenti putantur.

Exorta hoc modo scirrhosa induratione, initio pondus in pelvim descendere, vel, maxime cum erecto corpore incedunt, minus cum supinae cubant, alieni quidquam in vaginam delabi observant, quibus sensationibus subinde molestae urinae alvique excretiones superveniunt. Veneris cupidinem fere omnino amittunt, virum aegre admodum ferunt, atque vim seminis foecundantis virilis raro modo experiuntur, ac si

forte conceperunt, ad abortum edendum eximiam proclivitatem exhibent, imo, nulla plane causa extrinsecus admota, ipsum abortum saepe edunt.

Menstrua a regulari typo hoc tempore parum recedunt; attamen sub dolore, quem antea nunquam passae erant, copia solito modo maiori, modo minori aliquot dies durare solent, et qui effluxit sanguis, mixtione aliquantum destitutus deprehenditur.

In vagina, si exploratur, uteri descensus notatur, portionem vaginalem, quando digito tangis, tumidam, naturali crassiorem durioremque invenis. Vitium si vel in corpore, vel fundo uteri, vel in utrisque simul, id quod longe rarius observare licet, sedem tenet: ea, quae est super pubem, imi ventris regio specie duri globosique tumoris, rudiorem manus ad tactum dolentis elevatur; aegrae dolores coxendices subinde, ac inter sedendum nova incommoda conqueruntur. Quibus ex signis, si menstrua simul retinentur, graviditatis aliqua effigies simulatur, qua decipi medicus potest, nisi integrum graviditatis schema cum scirrhi signis, scirrhosoque habitu comparans e difficultatibus sese extricat.

Stadium secundum. Ingrediente hoc vitii stadio, scirrhosa induratio celerius accrescit atque inflammationem novam recipit; cuncta, quae primum stadium tractans exposui, mala ingravescunt, eoque maxime tempore, ubi, admotis externis noxii, mensium fluxus vel prodit, vel certe prodire frustra conatur. In exploratione externa abdomen paululum tensum, partes genitales plus minusve tumidae, et a materie mucosa, quae nunc maiori copia secernitur, humectatae repe-

riuntur. Immisso digito per vaginam portionem vaginalem durissimam, inaequalem ac dolorosam sentire licet, aegrae per longius tempus tacta loca dolentia conqueruntur, ac inter coitum non solum, sed etiam eo peracto molesta vexantur sensatione.

Dolores, quos antea obtusos tolerabilesque dixerunt, pungentes, urentes, lancinantes, atque fulguris instar volatiles subinde interiora pelvis nunc percurrunt, ac vel sub vespere, vel, quod saepius observavi media die exacerbantur, et ad noctem usque eadem, qua inceperant vi protrahuntur, quo tempore aut remittunt modo, aut intermittunt. Systema reproductivum nunc plus minusve malo participatur, aegrae cibos non iam bene nec appetunt, neque digerunt, colicis doloribus, subitisque horripilationis ac aestus vicibus tempore in exquisitam hecticam febrem exituris vexantur; emacrescit corpus, collabuntur mammae ac eximia crurum femorumque macies accedit.

Stadium tertium. Quod autem secuudi stadii signis novi hoc tempore supervenit, sanies est, quae e vagina copia initio parca, postea vero largiori emittitur, grumosa, per intervalla cruenta, e flavo viridis, cinerea aut subfusca, partibus scirrhosis secretis permixta, odorem peculiarem summe nauseosum, quo solo vitium iam cognosci potest, spargens, lintea ex colore tingens nigro, ac, quas tangit partes vicinas, celerius tardiusve corrodens. Spiritum, quem emittunt áegrae, ac sudorem nunquam ex saniei foetore infectos percepi. Perpetua in vagina ut in uteri prolapsu sentitur pressio; vasa sanie exesa, corrosa repente sanguinem, modo sincerum, mȏdo saniei

commixtum, modo liquidum, modo in coagula concretum, et qui vi et copia periculum minatur, intervallis brevibus fundunt; dolores minus certo typo adstricti, frequentius ac vehementius revertunt, atque, cum ad varias, ceteroquin sanas, quae non longe absunt, partes propagantur, vel colicae vel rheumatismi, vel haemorrhoidum naturam agnoscunt. Ciborum desiderium miserae magis magisque amittunt, cibis abhorrent, ac sibi invitis ingesta vomitu reiiciunt, singultu, cardialgia atque colica subinde laborant, alvus sub dolore, quin animi deliquiis vel parum modo reddit, vel nimis laxa est. — Proinde adspectus totius corporis cacochymicus, facies aegrarum peculiarem ex viridi flavescentem contrahit colorem, oculi proprium amittunt nitorem atque quasi vitrei apparent, mammae magis emacrescunt, ventris integumenta in innumeras plicas corrugantur; nec minus ceterum corpus, inprimis vero crura, quorum alterutrum saepius aut leucophlegmatia, aut hydrope affectum, aut perfecte resolutum deprehendi, ad ossa usque emaciantur.

Pulsum, nunc si examinaveris, parvum, irritatiorem et frequentiorem, horrore ac aestu vicissim praesentibus, invenias; miserae et viribus destitutae et permultis malis afflictae raro tantummodo, ac in breve tempus, lectum deserunt, corpore antrorsum versus inclinato, ambobus lateribus utraque manu suffultis, et, tanquam doloribus ad partum sub quovis incauto passu ingravescentibus, vexatae tarde, caute ac anxie gementes incedunt.

Menses tali in statu plane intercipi ab omnibus fere medicae artis auctoribus relatum legimus; a quo-

rum vero circa hanc rem sententia propriis observatis commotus discedere cogor. Namque in omnibus, in quibus vel uteri conus, vel cervix, quin imo corpus hoc vitio correpta, destructa, et, quod plus est, consumpta erant, illae minime defecerunt.

At ne quis putet, me sanguinis profluvia e vasis organi exesis, quae subinde prodeunt, pro menstruis habuisse, sicque ab illis deceptum fuisse, discrimina, quae intersunt inter utraque, hic adferre me oportebit; hisque omni, qua fas est, ratione perpensis, quantum quibusque signis a se invicem differant, facile apparebit. Menstruorum fluxum videlicet consueta molimina iam aliquot dies ante praenunciant; systema et sensibile et irritabile, uti ex variis spasticis febrilibusque corporis motibus satis aperte elucet, valde excitantur; omnes, quos ex utero sentit aegrota cruciatus, exacerbantur; sanguis, copia naturalem modum non superante, atque cum eximia dolorum remissione per dies quosdam continuo prodit, et si fluere desinit, aegra quam maxime levatur. Longe alia ratio est sanguinis profluvii, quod exesa uteri vasa fontem agnoscit. In hoc enim, haud ullis eius indiciis praegressis, nunc post corporis aliquem motum, nunc inter desidendum, nunc vel absque omni evidente causa sincerus, liquidus, aut in grumos coactus sanguis, qui mole et vehementia viribus ac vitae periculum intentat, repente editur. Quae si acciderunt doloris intermissio, virium maxima prostratio et animi deliquia saepius observantur.

Hoc tempore partes huic malo proximae mirum in modum destruuntur, ita ut loco oris atque colli uteri solum crassus durus et valde dolens circulus tan-

gatur. Non minus intestinum rectum, sicut quoque vesica urinaria sanie subinflammantur, coalescunt, eroduntur, perfodiuntur; quo ex fonte omnis et ab urinae et ab alvi deiectionibus profluentium molestiarum caterva scaturit. Vires vehementia dolorum, qui nunc raro admodum admittunt intervalla, sanguinis profluviis subinde redeuntibus, diarrhoea colliquativa cum alvi obstructione vicissim locum mutante, sudoribus eiusdem indolis copiosioribus frigidisque adeo franguntur, ut lectum amplius deserere, quin imo vix ac ne vix quidem in eo se movere aegra possit: quibuscum animi deliquia, dentium stridor, vomitus, alvus involuntaria, decubitus et anasarca animadverti solent.

Inter haec miserae quam maxime deplorandae malum mirum saepe in modum protrahitur, donec tandem serius ociusve inevitabili et tamen saepius ab ea frustra iam exoptata morte, mente ad spiritum usque ultimum sibi salva, e medio tollitur. Haec igitur mali solitus processus; ceterum, quamvis rarissimi, casus dantur, ubi scirrhosa uteri pars, antequam exulceratur, excrescentias spongiosas, sulcatasque, quae magis magisque adaugentur et denique integram implent vaginam producit; quae excrescentiae medicum his in rebus minus versatum, dum digito intromisso vaginam explorat, quid tangat, incertum relinquunt, post aliquod vero temporis spatium vi, cui ortum debent, plastica destituuntur, circa ambitum emoriuntur, exulceratione rapide consumuntur, atque omnia deinde, quae, cum tertium stadium tractarem, enumeravi, damnosissima signa producunt.

Dubois 1) scirrhum eum, quo talia accidunt, cancrum par végétation, quo non, par érosion apellat. Hunc in sedecim aut uno vel altero pluribus casibus observandi occasio mihi erat; illum contra una vice tantummodo, et quidem doloribus, sanguinis profluviis, animi deliquiis ac nervorum distentionibus priori longe frequentioribus vehementioribusque stipatum vidi.

His, quas uterum experiri scirrhosas mutationes diximus, iisdem etiam illo tempore ovaria non adeo raro obnoxia sunt. Quae si proveniunt, aegrae exinde dolores urentes, pungentes, initio mitiores, ingravescente vero malo vehementiores ac simul a febrili totius corporis motu comitatos conquerantur atque in uno alterove latere alieni corporis pondus sentiunt. Medicus hunc locum, attractis foeminibus laxatisque ea re imi ventris integumentis, si contrectat, tumorem durum et ad rudiorem manus tactum dolentem percipit.

A e t i o l o g i a.

Ex sententia medicorum physiologorumque, certe maxime exercitorum, et vetustioris et recentioris aevi uteri inferioris gradus inflammatio, lymphaeque plasticae ex sanguine in telam exsudatio atque stasis causam uteri scirrhi proximam constituunt. Ea autem, quae modo a me dictum morbi ortum sequi solent,

1) Propositions sur diverses parties de l'art de guérir thêse présentée et soutenue à la fáculté de médecine de Paris, le 18 Iuin 1818.

sunt non solum vitiosae partis quoad densitatem, ambitum et pondus adauctio, sed et vis vitalis diminutio ipsius.

Scirrhus tali modo exortus, sublata illa inflammatione evitatisque cautissime cunctis, quae eam revocare valeant, noxis, per plures annos, per integram vitam procul omni salutis vitaeque periculo persistere potest; quin imo, certis foeminae conditionibus, tum internis, tum externis, naturae salutiferam vim adiuvantibus, vel ex parte, vel omnino, experientia teste, quamvis certe rarissime, evanescere solet.

Verum saepenumero neque illud, neque hoc evenit; sed potius scirrhosa pars novam, quae iam evanuisse credebatur, inflammationem contrahit, quae celerius tardiusve in exulcerationem abiens aegris omnia iam commemorata damna creat et ipsam mortem infert miserrimam.

Causas praedisponentes, quae dicuntur, quatenus vel utero propriis rationibus vel totius corporis tum humorum peculiari in hunc morbum dispositione nituntur, in topicas et generales oportet hic discriminari.

Ad topicas praecipue pertinere mihi videntur uteri spongiosa, lymphatica atque venosa textura; eiusdem in infima pelve situs et ex eo effectus frequentior, quam ut innoxie ferri queat, rerum externarum contactus; eius porro vel congestiones, vel fluxus sanguinis, leviores inflammationes, lymphae plasticae exsudationem huiusque in tela stagnationem admittendi facilitas; denique, quod vim attinet plasticam, modo adauctio, modo diminutio; densitatis frequens per

vices mutatio ac tandem cum praecipuis organismi partibus eximius consensus.

Causis praedisponentibus generalibus praecipue adnumerantur tenera, debilis atque sensibilior corporis constitutio vel congenita vel aliis morbis acquisita. Haereditaria quaedam peculiaris dispositio vel huius morbi seminia, quamquam existere ea apud multos nostri aevi auctores negatum, nec ideo ab altera parte ea vere adfuisse ad hoc usque tempus satis argumentis comprobatum legimus, tamen ob plures certasque huiusmodi aegrarum notas mox tradendas, nec minus propter ortum vitii, causis, quae id provocare valeant, remotis longe rariorem, negari plane nequeunt. Veteres nostrae artis viri hanc in scirrhum dispositionem constitutionis atrabilaris denominatione complexi sunt, eamque ad hunc morbum generandum, ex alteroque in alterum stadium transformandum quam maxime efficacem, quin imo necessariam, dixerunt. Tanquam principium autem, talia quod agat, bilem atram, magis quam debeat praedominantem, mixtione destitutam, in materiam cancrosam conversam atque intra organi vitiati contextum depositam ibique stagnantem accusaverunt. Quae veterum autem, ceteroquin illustrissimorum virorum de uteri scirrhi atque carcinomatis ex atra bile generatione rudis sententia quamquam pro vera omnino accipienda non sit, nihilominus equidem, certis aegrarum et corporis et animi proprietatibus edoctus, universalem vitii causam in anomala ac modum superante biliosi systematis functione posuerim. Omnes enim, quae hoc vitio correptae in nosocomium, cui caritatis nomen est, ubi medici inferioris munere

tunc fungebar, curandi causa deportatae fuerant, corpore erant macro, debili, statura parva, vel certe parvam modo excedente; fibra tenera, rigida solidaque; cute molliori coloris ex albo flavescentis; capillis, superciliis ciliisque densis, nigritie splendentibus; oculis magnis, nigris, vividis et proprio nitore quasi fulgentibus: nunquam non easdem plus minusve in superiore labio barbatas vidi. Temperamentum exhibebant melancholico-cholericum atque ad animum, quae depriment, pathemata, moerorem solitudinemque pronissimae videbantur.

Quanta vero sit utilitas, quae ex intima medicorum harum corporis animique proprietatum scientia mulieribus vel seminio modo, vel principio scirrhi iam praeditis prodeat, non est, cur dicam; quando id respicere velimus, quam saepe ea, quae initium vitii comitantur incerta ac aegris tolerabilia signa nos decipiant; quamque aegre eorum, revera si adsunt, notitia a mulierum verecundia medico reddatur; et tandem, quam multum et medicus et aegra initio morbi evitando, quae nocent, cautissime potentias, ad eius ex altero in alterum stadium praegressum praepediendum valeant. Verum ne unus aut alter, qui hoc scriptum legere pretio dignum ducet, ex sola illarum proprietatum praesentia, neglectis patientis tam examine quam exploratione, hunc morbum cognoscendum esse, me dicere, id quod vereor, voluisse credat: me ex ea, foeminis ingredientis atque abditi huius mali molestias conquerentibus, scirrhum esse suspicandum atque summa, qua par est, cura examen illud atque explorationem instituenda esse aperte confiteor.

Ad causas quod spectat remotas, his cuncta ea adnumerantur momenta, quae inter hoc vitae temporis spatium, quo mulier facultate et in utero concipiendi et foetum ibi gerendi gaudet, sanguinem ad organa generationi addicta praeter modum subinde fluentem efficiunt, quo affluxu haec organa illius humoris copiam naturali maiorem facile admittunt, debilitantur atque ad inflammationem inferioris gradus contrahendam lentam et in indurationem scirrhosam saepissime abeuntem maxime prona redduntur. Quibus momentis praecipue istae mulierum obnoxiae sunt, quae veneris cupidini modo naturae alieno v. c. manustupratione satisfacere student; coitum quidem more, quo fas est, exercent, verum inter eum omnem, ne concipiant, curam adhibent; ob veneris desiderium intemperanter adauctum viris robustis atque cole aliquantum maiore praeditis frequentius sese committunt; sicuti et eae mulieres, quae animo imaginibus lubricis, sive sensibus rebus amororis valde excitatis tamen a veneris ipso usu propter hanc vel illam causam abstinent. Neque minus idem efficiunt emmenagoga, permultaque ad sanguinis ex utero fluxum, fluoremque album compescendum atque sanandum rudi manu adhibita remedia adstringentia ac stiptica.

Neque vero causas mechanicas uteri scirrhi negligamus: nimirum pressionem ex diuturniori usu pessarii male formati aut materie nociva circumdati nec bene applicati; uteri inter partum naturae parum respondentem aut ex forcipis aut ex aliarum rerum non omni, qua decet cura, in usum vocatis auxiliis, ictus, contusiones atque alia eiusmodi damna.

Omnibus vero hic commemoratis aliisque adhuc, quae, cum vilioris momenti censeantur, omisi, causis remotis, saepe mulieres urgeri, et contra raro hoc vitio tamen affici: quis est, qui ignoret? — et quis deinde, qui de universali ad eius evolutionem eiusque in ceterum corpus perniciosos effectus promovendum omnino necessaria causa vel dispositione dubitet? — Quae cum ita sint, hanc ea de re meam sententiam, omnem quemque uteri scirrhum primi stadii limites non excedere, nisi in iis, quae illis et animi et corporis proprietatibus et cum iisdem indissolubili nexu iuncta atrabilari cacochymica humorum mixtione praeditae sunt, quod utrumque dispositionem in hunc morbum exserit, pronuntiare ausim. Quae si abest dispositio, occasio non nocet: et vicissim, si praedispositae mulieri ab occasione caves, caves a morbo.

Unusquisque igitur medicorum, qui genesis, decursus atque symptomatum huius morbi rationem bene perspectam habet, nequaquam, num salutem, num interitum aegrotis ex iis praedici liceat, dubitans haerebit; quapropter et hoc in loco fieri debere non credo, ut prolixius enarrem, quibus ex signis et certus interitus et proxima salus praevideri aut sperari possit.

Quod vero ad morbi dirissimi curationem attinet, quae hoc loco enarrata meoque libello annexa fortasse exspectabitur, scio quidem, multa a multis medicis ad exstirpandum et plane tollendum malum fuisse adhibita: attamen ne unum quidem illorum omnium, quo usi sunt, medicamentorum satis efficax fuisse constat. Equidem hac in re quaedam me expertum esse confiteor, quae proferrem, si satis explorata viderentur,

neque quibusdam in aegrotis aliis medicaminibus peiora inventa essent. Quae cum ita sint: de hac re plane hic tacere volui, partim ne scientiae aut experientiae aliarum maiori molestus essem, partim ut eo liberius via ad quaeque bona invenienda mihi ipsa in posterum pateret.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Andreas Fridericus Ecke, d. XXVII. m. Octobris a. MDCCXCIX Wanzleben prope Parthenopolim, patre optimo, cuius mortem per integrum lustrum iam doleo, illius oppidi cive, matre carissima e gente Koppiana natus sum et christianae religioni secundum Lutheri formulas addictus. Primis literarum, quae ad humanitatem pertinent, elementis in schola urbis natalis ad decimum quartum aetatis annum usque imbutus, Parthenopolim petii, ibique a doctissimis viris, Willegans et Eckert primis chirurgiae practicae rudimentis per octodecim menses instructus, Borussorum exercitum, bello anno millesimo octingentesimo decimo quinto rursus exorto, munere chirurgi inferioris fungens secutus sum.

Pace reconciliata adolescens iis literis, quae ad academica studia viam muniunt, in Gymnasio, illustrissimo Winkelmanno duce Parthenopoli florente per biennium curam navavi. Anni millesimi octingentesimi decimi noni m. Aprilis in numerum alumnorum Academiae medico-chirurgicae, ac annum et dimidium post seminarii medico- chirurgici militaris Friderici Guilelmi nomine insignis receptus per novem semestria medicinae utriusque studio pro viribus incubui, neque minus in medicina, chirurgia et arte obstetricia exercenda versatus sum, cum per annum medici inferioris in nosocomio caritatis munus obiissem.

Ab eo inde tempore virorum perillustrium et celeberrimorum, quibus tam multa debeo, quorumque memoriam nunquam ex grato animo dimittam, praelectionibus interfui:

Physicen, chemiam et pharmaciam Ill. Hermbstädt et Cel. Turte, botanicen, historiam naturalem Ill. Linck, anatomiam tum theoreticam tum practicam Ill Rudolphi et Ill. Knape me docuerunt. De physiologia Ill. Rudolphi et Cel. Eck, de pathologia generali et semiotice Cel. Fr. Hufeland, de pathologia speciali Ill Horn disserentes audivi. In therapia speciali mihi duces fuerunt Ill W. Hufeland, in materia medica Cel. Osann, in arte formulas medicas conscribendi ut quoque in forensi medicina Ill. Knape. Chirurgiam tam generalem, quam specialem, neque minus akiurgiam Ill. Rust, Ill. Graefe et Cel. Kluge mihi tradiderunt. A Cel. Kluge artis obstetriciae, et theoreticae, et practicae disciplinam fasciasque applicandi praecepta accepi. Exercitationibus clinicis, tum medicis, tum chirurgicis Ill. W. Hufeland, Cel. Neumann et Cel. Osann, Ill. Rust, Cel. Kluge et Cel. Busse interfuisse glorior.

Iam vero peracto studiorum cursu ac tentamine examineque rigoroso coram gratiosa medicorum facultate legitime absolutis, spero fore, ut post hancce dissertationem rite defensam summos in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Venaesectio nullius alius remedii vice fungi potest.

II.

Mercurio vis antiphlogistica non inest.

III.

Bilis in morbo regio omnino resorbetur.

IV.

Fractura cranii per se nunquam trepanationem exigit.